Quelle:
Copyright:

Praefatio.

„Collectio librorum manuscriptorum delecta" (Uhlirz), qua canonia Voraviensis gaudet, ad usum quotidianum religiosorum necessaria inde a fundatione monasterii (1163) coepta, per saecula sequentia, praesertim sub bibliophilis canoniae praepositis Bernardo I. (1184—1202), Bernardo III. (1267—1282), Conrado II. (1282 – 1300), Andrea de Prandek (1433—1453) atque Leonardo de Horn (1453—1493) aucta, usque in hodiernum diem maxima cum sollertia custodita est ac conservata (cf. ms. 277).

Ut ex antiquissimis catalogis (cf. ms. 17 et 342/2) et ex catalogo codicum manuscriptorum Voraviensium 1733 a bibliothecario Francisco Julio Gusmann conscripto apparet, praeter multos codices liturgiae vel scholae claustrali servientes, qui usu consumpti sunt, non nimius numerus codicum periit vel in alias bibliothecas devenit (cf. Denis I 1263 n. 328; Menhardt 140 n. 99; Universitätsbibliothek Graz n. 310).

Ut thesaurus literarius adhuc exstans studiis scientificis melius pateret, decem ante annos novum codicum manuscriptorum catalogum secundum methodum, quae ex ipso catalogo sufficienter elucet, incepi conscribere, quod opus multis aliis laboribus saepe detentus, longe distans a bibliothecis modernis, necessitate parcendi pecuniae coercitus, inter varias et vere non parvas difficultates feliciter tandem perfeci. Hisce difficultatibus attribuantur defectus, quibus hic catalogus laborat; si autem quid placet, plerumque est meritum doctissimorum ac peritissimorum virorum, qui consiliantes et adiuvantes me inter varia discrimina laborantem benignissime promoverunt, quorum speciali laude vere digni sunt sequentes: Wien, Nationalbibliothek: Universitätsprofessor Hofrat Generaldirektor Dr. Josef Bick, die Vorstände der Handschriftenabteilung Oberstaatsbibliothekar Professor Dr. Ottokar Smital und Oberstaatsbibliothekar Professor Dr. Hans Gerstinger, Staatsbibliothekar Dr. Emil Wallner; Graz, Universitätsbibliothek: Oberstaatsbibliothekar Direktor Dr. Franz Gosch, Staatsbibliothekar Doktor Anton Kern; Roma, Biblioteca Apostolica Vaticana: Scrittore Prelato D^re^ Augusto Pelzer; München, Bayerische Staatsbibliothek: Geheimrat Professor Dr. Georg Leidinger, Direktor der Handschriftenabteilung; Kons.-Rat Universitätsprofessor i. R. Dr. P. Nivard Schlögl,